

misereris, ut æquor naufragis: quod manum continens, reverentia regie pacis est.

Amice, se humiliavit, licet citra perfectum, domitor orbis fideli suo: & penè pedem retulit, quia penè paruit: & penè succubuit, quia penè audivit & non penitus. Nihil ei multa humilitas profuit, quia non plena. Quid tibi confert tua tam ferina inhumanitas, & rigor inflexus, & horror supercilii? Quid ultrò irruis in latronum insidias inermis: humilia te, cede. Sed ad modum humilitatis ejus, qui totum sibi mundum humiliavit: & audi amicum tuum. Et si Cæsarem erasse credis, qui Tugillio non credidit: exaudi & attende quid & aliis contigerit, ut tibi prosit eorum læsio. Indemnis est enim castigatio quam persuadent exemplaria. Nescio quo refugio tutus es, aut quo torpescis asylo. Cæsar immisericordes Persides repperit, & non est reversus: Tu si unquam tale gymnasium evasisti, pios, impios invenisti. Phoroneus rex, qui legum thesauros populis publicare non invidit, sed is primus Græcorum studia deauravit, die qua viam universitatis ingressus est, ait Leontio fratri suo: Ad summam felicitatem nihil mihi deesse, si uxori mihi semper defuisset. Cui Leontius: & quomodo uxor obstat? At ille, Mariti omnes sciunt.

Amice, utinam tu semel maritus fueris, & non sis, ut scias quid felicitatem impediatur. Valentinus imperator octogenerarius adhuc virgo, cum audiret die fati sui triumphorum præconia recoli, quibus frequentissimus erat: ait una se tantum gloriari victoria. Et requisitus qua? respondit, quod inimicorum nequissimum devici carnem meam. Amice, hic inglorius migrasset à seculo, nisi ei fortiter restitisset cum qua tu assensum familiaritatis pepigisti.

Cicero post repudium Terentiæ uxori noluit, dicens se pariter uxori & philosophiæ operam dare non posse. Amice, utinam tibi hoc animus tuus respondeat: vel tua lingua mihi: ut loquendo saltem eloquentiæ principem digneris imitari, & mihi ipem facias vel vanam.

Cannius à Gadibus Herculis, poeta faciundia lenis, & jucunde, reprehensus est à Livio Pæno, gravi & uxorato historiographo: quod multarum gauderet amoribus, his verbis: nostram philosophiam participare non poteris, dum à tot participaris. Non enim eo jecore Junonem amat Titius, quod multi vulvres in multa divellunt. Cui Cannius: si quando labor, refurgo cautius: si paulum opprimor, alacrius refumo aërem, vices noctium dies reddunt lætiores: sed tenebrarum perpetuas initar inferni est. Sic lilia primæva, verni solis delicata teporibus, varietate tum Euri, tum Nothi, tum Zephyri læticia effusore lasciviunt, quibus uno spiritu fulminans Libs incumbens occasum facit. Sic Mars ruptis testiculis in mensa cœlesti recumbit conviva superum: à qua uxori Mulciber suo fane longe religatur. Sic levius ligant multa fila quam sola catena: Sic mihi à philosophia delicie tibi foliatum.

Amice, utriusque verba probo: vitam neutrius. Minus tamen multi morbi lædunt salutis vicissitudine interpolati: quam languor unus qui doloribus irremediatis non cessat affligere. Pacuvius flens, ait Arrio vicino suo.

Amice, arborem habeo in horto meo infelicem: de qua prima uxor mea se suspendit: postmodum secunda, jam nunc tertia. Cui Arrius: Miror te in tot successibus lachrymas invenisse. Et iterum: Dii boni quot tibi dispendia arbor illa suspendit. Et tertio: Amice, da & mihi de arbore illa furculos, quos seram.

Amice, timeo ne & te oporteat arboris illius furculos mendicare, cum jam inveniri non poterunt. Sensit Sulpitius ubi ipsum calceus suus premebat, qui ab uxore nobili & casta divertit.

Amice, cave tibi ne te premat calceus, qui avelli non possit. Ait Cato Uticensis: Si absque femina posset esse mundus, conversatio nostra non esset absque diis. Amice, Cato non nisi vera & cognita loquebatur, nec quisquam feminam execeratur ludibria, nisi lusus & expertus & conscius pœnæ. His igitur fidem habere deest: qui cum omni veritate loquuntur. Hi sciunt ut placet delectatio, & pungit delictum. Hi norunt quod flos Veneris rosa est: quia sub ejus purpura multi latent aculei.

Metellus Mario respondit cum ejus filiam dote divitem, forma nobilem, genere claram, fama felicem ducere noluit: Malo meus esse quam suus. Cui Marius, imò ipsa tua erit. At ille: Imò virtum oportet uxoris esse. Logicum est enim,

talia erunt subiecta, qualia permiserint prædicata. Sic faceria verbi Metelli divertit ab oneribus dorum ejus. Amice, si uxori oportet, non expedit quidem. Verumtamen sit amor in causa, non census. Et faciem uxoris eligas, non vestem. Et animum, non aurum: Et tibi nubat uxor, non dos. Ergo si quo modo fieri potest, prædicari poteris, ut livorem non ducas à subiecto.

Lais Corinthia prærogativa pulchritudinis insignis, tantummodo regum & principum dignabatur amplexus: Conata est tamen Demostheni philosopho participare, ut notæ castitatis ejus miraculo soluto, videretur specie sua lapides movisse, ut Amphion cithara, attractumque blanditiis tractavit suaviter. Cùmque jam Demosthenes emolliretur ad thalamum, petivit ab eo Lais centum talenta pro consensu. At ille suspensus in cælum, ait: Non emo tanti pœnitere. Amice, utinam in cælum & tu acumen mentis dirigas, ut id effugas quod pœnitentia est redimi.

Livia virum suum interfecit, quem nimis odiit. Lucillia suum, quem nimis amavit. Illa sponte miscuit aconitum: hæc decepta, furorem propinavit pro amoris poculo. Amice, contrariis contenderunt votis istæ. Neutra tamen defraudata est sine fraudis feminæ, & proprio scilicet malo. Variis divertis incedunt semitis feminæ, quibusque anfractibus errant, quibusque deviant in viis, unus est exitus: una omnium viarum suarum meta. Unicum caput & conventus omnium diversitatum suarum malitia. Exemplo harum experimentam capere: quod audeat est ad omnia quæ amat vel odit femina: & artificiosa cum nocere vult, quod semper edit & frequenter: cum juvare parat, obest. Unde fit ut frequenter noceat nolens. In fornace positus es: si aurum es, exibis purior.

Dejanira Tyrinthium vestivit interula: & monstrorum malleum, monstri sanguine ulla est: sibi que processit ad lachrymas, quod ad lætitiarum machinata est. Amice, tractatum telo Heracles scivit & vidit Nessum ista, nihilominus tamen Nessus credidit in Herculem: & quasi non sponte, quem debuit vestire interula, vestivit interitu. Infanti capitis & præcipitis est femina, indeliberata semper voluntate: præcipium arbitrat quod vult, & quod non expedit: & ut præ omnibus placere cupit, ita placitum suum omnibus præferre consula est. Duodecim inhumanos labores consummavit Alcides. A tertio decimo qui omnem inhumanitatem excessit, exuperatus est. Sic fortissimus hominum, æque dolendum ut gemebundus occubuit, qui cœli arcem sine gemitu sustinuerat humeris. Tandem quæ unquam inter tot milia milium sedulum sollicitumque precatorem perpetua contristavit repulsa: vel quæ constanter præcidit verba petentis? favorem sapit ejus responsio: & quantumcumque dura fuerit, semper in aliquo verbi sui angulo habebis aliquem petitionis tuæ fomitem implicitum: quælibet negat, nulla pernegat. Irrumpit aurum in propugnacula turris Acrisii, valloque multiplici signatum.

Danaës pudicitiam solvit. Amice, sicut virginis quæ terram triumpharat, de cœlo pluit incestus: sic quam nunquam fallit humilis, vincit sublimis. Sic arborem quam nunquam movit Favonius, evertit Aquilo. Lycia virgo, vergens in senium, & fama castitatis privilegia constanter: tandem oppressa Apollinis phantasmate concepit, peperitque Platonem.

Amice, quam illibatam servaverunt vigilie, defloravit illuso per somnium: ut semper omne rosarium aliquo turbine sua purpura spoliatur. Sed bene si quid hic bene, quod patriflavit Plato in sapientia: & quod similis factus est nominis & numinis patris præcipui. Amice, miraris, an indignaris magis: quod in parabolis tibi significem gentiles esse imitandos, Christiano idololatrias: agno, canes: denique bono malos? Volo sis api argumentose similis, quæ mel elicit ex urtica: ut sumas mel de petra, oleumque de saxo durissimo. Gentilium novi superstitionem, sed omnis creatura Dei ali-quod habet exemplar honesti. Unde ipse, tum aries, tum leo, tum vermis dicitur: sed plurima perverfa agunt increduli: aliqua tamen quæ cum ipsis interierant, in nobis fructum abundare fecerunt. Quod si illi zonas habuerunt pelliceas causa munditiæ, sine spe, sine fide, sine prædicamento, sine charitate: profecto si nos fuerimus asini & fues, aut aliqua inhumanitate brutorum similes, quo fidei, quo spei, quo charitatis merito digni reperiemur: cum videas Prophetas, & præcipue illum, mundi cordis quem soli cernere possunt oculi. Illi autem studio suarum artium se multis conatibus affli-

xerunt: nullo futuræ felicitatis intuitu: sed tantum ne animas haberent ignorantes. Quid nobis erit, neglecta divina pagina: cuius finis veritas est, & illuminatio & lucerna pedibus: & lumen femitis ad vitam æternam.

Utinam hanc eligas, utinam hanc legas, utinam hanc introducas in cubiculum tuum, ut introducat te rex in suum. Hanc dudum facibus tui veris subarrasti. Hæc in ætate tua expectat ut facias uvam: in hujus injuriam, non ducas aliam, ne faciens in tempore vindemæ labrusca inveniatis. Nolo te sponsulum Veneris fieri, sed Palladis. Hæc sponsa te inducet monilibus pretiosis & ornabit: hæc te inducet veste nuptiali. Hæc nuptiæ gloriabuntur Apolline paronymo: harum Fescennina decebit cedros Libani, Silbon uxoratus, spem hujus tam desideratæ solemnitatis devote concepi: sed in timore, causa hujus tota hæc lectio facta est.

Ad hunc finem luculenta tota hæc properat oratio. Hic rigor hujus dissulationis: hic totus armatur, cuius modum chalybe præduratos sentis aculeos. Dura est manus chirurgici, sed sanans. Durus est hic sermo, sed sanus. Sed utinam tam utilis quam devotus, Amice, arctam tibi, ut ais, insilio vivendi regulam, esto. Est enim arcta via quæ ducit ad vitam: nec est semita plana, qua itur ad gaudia plena: imò etiam ad mediocria decebit cedros Libani. Audivit Jason, quod per mare adhuc intactum, nec ullis devirginatum ratibus aut remis: & per tauros & sulphureos ignes: & per toxicati serpentis virgulas sibi viandum esset ad vellis aurum: & sano consilio, licet non suavi usus, abijt & redijt: & optabilem thesaurum retulit: sic absinthium veritatis acceptat morosæ mentis humilitas: fecundat officiosa sedulitas: in fructum perducit perseverantiæ utilitas. Sic sementem serit, pincerna pluviarium Auster. Consolidat scopam viarum Aquilo. In uberem promovet florum procreator Zepirus. Sic dura principia dulci fine munerantur. Sic arctus callis ad ampla palatia perducit: sic angustus trames ad terram ducit venturum.

Sed ne longo te dispendio suspendam, ut majori testimonio mihi fides adhibeatur: lege aureolum Theophrasti, & Medeam Jasonis, & vix pauca invenies impossibilia mulieri. Amice, det tibi Deus omnipotens feminæ fallacia non falli: & illuminet cor tuum, ne præstigiatis oculis tendas quò ego timeo: Sed ne Oresten scripsisse videar. Vale.

#### MARTINI QUINTI PONTIFICIS sequens regulæ Monachorum approbatio.

MARTINI Episcopus servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Etsi pro cunctorum Christi fidelium quibus curam apostolatus officij gerimus, statu salubriter dirigendo & ampliando diligenter adhibeamus sollicitudinis nostre partes. Illos tamen affectuosi prosequimur charitate, qui mundanis abjectis illecebris, in humilitatis spiritu sedulo virtutum Domino famulantur. Unde ea quæ pro illorum sub vera religionis observantia stabiliendo proposito providè emanasse comperimus: ut firma illibataque permanent, libenter Apostolico munimine roboramus.

Nuper siquidem pro parte dilecti filii Lupi de Olive-to, ordinis monachorum eremitarum sancti Hieronymi generalis præpositi, nobis exposito, quòd dudum ipse & plerique alii professores ordinis ejusdem sancti Hieronymi, sub regula sancti Augustini tunc viventes, zelo devotionis accensi, ob frugem vitæ melioris, arctius & perfectius quam regula dicitur hujusmodi, & in vero statu monachali, quem ipse sanctus Hieronymus cum suis monachis & fratribus professus fuisse, & in communi observasse perhibetur vivere: & ut nomen gerebat ejusdem sancti, sic ejus vitam, regulam & opera desiderabat imitari.

Idcirco ad hujusmodi ordinis stabile potius fundamentum, pro institutione regulæ monachorum eremitarum ordinis sancti Hieronymi ex diversis Epistolis & tractatibus per dictum sanctum Hieronymum editis, & per Ecclesiæ approbatis: nonnullamque veram religionis doctrinam, vitamque monachalem: quam idem sanctus cum suis monachis & fratribus in ejus vita in communi quo ad ea quæ principalia sunt status & vitæ monachalis permulta & usque sui tempora oblitus observavit: & aliquos alios observare movit continentia: Lupus ipse contraxerat, complaverat, & velut in unum cor-

Tom. V.

pus, sub certis titulis reducerat: sub quibus ipse & plerique alii monachi & fratres dicti ordinis ex tunc in antea degere & permanere, ac illa in regulam suscipere proponebant & affectabant.

Nos tunc hujusmodi propositum condignum & rationi consonum recensentes, hujusmodi regularem & monachalem observantiam ipsam sanctum Hieronymum in vita ejus observandam merito laudantes & approbantes: illamque in Dei Ecclesiæ in ordinem monachalem attolli, & observari intensis desideriis affectantes: eidem Lupo doctrinam & instituta monachalia ejusdem sancti Hieronymi ex eisdem Epistolis & tractatibus, prout per ipsum Lupum extracta, compilata & reducere fuerant: loco regulæ sancti Augustini in regulam monachalem ordinis monachorum eremitarum dicti sancti Hieronymi, & ejusdem sancti vitam præfatam in ordinem hujusmodi suscipiendam: ac ipsam regulam dicti sancti, prioribus, monachis, fratribus & personis prædictis sub ea vivere cupientibus, quos etiam ac ipsum Lupum postquam secundum eandem regulam vota sua principalia emisissent, à regula dicti sancti Augustini observantia ex tunc penitus absolutos esse volumus: & decrevimus observandam, tradendi, & publicandam plenam & liberam per alias nostras literas, quas & earum tenores præsentibus haberi volumus pro expressis, concessimus facultatem: ac per eandem literas volumus, quòd postquam idem Lupus regulam hujusmodi tradidisset & publicasset, ut præfertur, ex tunc ipse, ac priores, monachi, fratres, & personæ, prædicti secundum illam vota sua principalia religionis hujusmodi, emittere, profiteri, & vivere tenerentur: Ipsaque regula sic tradita & publicata, robor obtineret perpetuæ firmitatis.

Cum autem sicut exhibita nobis nuper pro parte ejusdem Lupi petitio, licet ipse postmodum ad salutem dicti ordinis monachalis institutionem, ejusque soliditatem incrementum providè intendens: præfatam vitam dicti sancti Hieronymi monachalem in ordine hujusmodi ejusque doctrinam & instituta monachalia: prout ex Epistolis & tractatibus prædictis per ipsum Lupum extracta, compilata & redacta fuerunt, ut præfertur dictarum literarum vigore loco dictæ regulæ sancti Augustini in regulam ordinis monachorum eremitarum hujusmodi assumpserit & exerceret atque susceperit: ipsamque regulam, prioribus, monachis, fratribus, & personis hujusmodi ordinis sub ea vivere cupientibus, & personis hujusmodi ordinis sub ea vivere cupientibus, juxta illius continentiam inviolabiliter observandam tradiderit, publicaverit, ac observari decreverit: Ipsique priores, monachi & fratres vota sua principalia secundum regulam hujusmodi in manibus dicti Lupi professi fuerint, illaque de cætero utentes secundum eam regantur & gubernentur, ac ipsam in regulam eorum tanquam veram doctrinam monachalem sancti Hieronymi laudantes & approbantes acceptarunt, & secundum eam etiam monasteria ejusdem ordinis monachorum regunt atque gubernant: idem tamen Lupus assumptionem, erectionem, susceptionem, traditionem, publicationem, & decretum aliæque præmissa ex certis causis dubitat viribus non subsistere: pro parte dicti Lupi nobis fuit humiliter supplicatum, ut assumptioni, erectioni, susceptioni, & publicationi, ac talibus præmissis pro illorum subsistentia firmiori, robor Apostolica confirmationis adjicere de benignitate Apostolica dignaremur.

Nos igitur qui religionis propagationem & divini cultus augmentum nostris vigere temporibus intensis desideriis affectamus: hujusmodi supplicationibus inclinati, assumptionem, erectionem, susceptionem, & publicationem, & alia præmissa, ipsamque regulam prout inferius describitur: ac omnia & singula in ea contenta, ac inde secuta, rata habentes & grata ea autoritate Apostolica ex nostra tota certa scientia confirmamus: & præsentis scripti patrocinio communimus: suppletes omnes defectus si qui forsitan intervenerint in eisdem. Statuentes nihilominus harum serie, & etiam ordinantes, quòd de cætero Lupus ipse ejusque successores, præpositi generales, priores, monachi, fratres & professores, ac conventus & monasteria dicti ordinis monachorum eremitarum sancti Hieronymi, quæ nunc sunt & erunt in posterum, profiteantur vota sua tria principalia religionis: ac etiam regantur & gubernentur per dictum Lupum ejusque successores præpositos: ac vivere teneantur secundum regulam hujusmodi ejusque continentiam & effectum, ac ipsius susceptionem, traditionem & publicationem præfatas, aliæque instituta ordinis hujusmodi regularia.

Y ij



Volumus insuper atque concedimus ad servandas conscientias professorum hujus ordinis: & pro ipsorum majori quiete animorum: quod si qui professorum hujusmodi dictam regulam, seu aliquam de contentis in ea humana fragilitate, aut infirmitate causante, seu aliis tam exactè prout traditur in eisdem non observaverint: non propterea mortalis peccati vinculo sint ligati, sed per suos superiores pro eorum excessu & transgressione ac modo culpe injungi valeat penitentia salutaris: quam suscipere & adimplere teneantur: non obstantibus constitutionibus Apostolicis, ac prædicti & aliorum quorumcumque ordinum statutis & consuetudinibus, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quacumque firmitate alia roboratis, ceterisque contrariis quibuscumque. Tenor verò regulæ hujusmodi de verbo ad verbum sequitur: & est talis.

REGULA MONACHORUM DIVI  
Hieronymi, ex scriptis ejusdem per Lupum  
de Oliveto collecta.

**F**RATRES charissimi, non quo quem mente concepi ore proferte sermonem: & cordis latitiam lingua non explicat. Hoc autem non solum ego patior qui cupio narrare quæ sentio: sed etiam & vos mecum patimini: plus exultantes in conscientia, quam in eloquio profertentes. Cum itaque nihil sit Christiano felicius: cui promittuntur regna cælorum. Nihil laboriosius, qui de vita quotidie periclitatur. Nihil fortius, qui vincit diabolum. Nihil imbecillius, quia carne superatur. Utriusque rei exempla sunt plurima. Latio credit in cruce: & statim meretur audire: Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso. Judas verò de apostolatus fastigio in perditionis tartarum labitur: & nec familiaritate communi: nec intinctione buccellæ: nec osculi gratia frangitur: ne quasi hominem tradat, quem filium Dei noverat. Nos quidem parva dimisimus: grandia possidemus, centuplicato fœnore Christi promissa redduntur.

Hæc dicimus, non tam tibi quam aliis sub tuo nomine: ut prima te fili fronte doceamus magna cæpisse, & excelsa sectari: & adolecentiæ imò pubertatis incentiva calcantem, perfectæ ætatis gradum scandere. Scis enim dogma nostrum humilitatis tenere vestigium: & per ima gradientes ad summa nos ascendere. Igitur sanctus mihi invocandus est spiritus: ut hoc suo sensu ore meo defendat. Non quidem campum rhetorici desideramus eloqui: non dialecticorum tendicula, & Aristotelis spineta conquirimus: Sed ad sanctarum scripturarum gravitatem confugimus: ubi vulnerum vera medicina est: ubi dolorum certa remedia.

Verùm quia memoria labitur: omnium quæ dixerimus desideras commentariolum fieri: ut oblivionem lectio consoleretur: ideo pauca quæ tibi reor fore necessaria, credidi subnectenda. Illuc enim nostra tendit oratio: ut quorum unus est labor, unum & præmium sit. Navigantes namque rubrum mare, in quo optandum nobis est, ut verus Pharaos mergatur cum suo exercitu: multis difficultatibus atque periculis ad urbem maximam perveniunt: utroque littore gentes vagæ imò belluæ habitant ferocissimæ. Semper solliciti: semper armati: totius anni vehunt cibaria, latentibus faxis vasisque durissimis plena sunt omnia.

Quorsum ista perspicuum est. Nam si sæculi negotiatores tanta sustinent: ut ad incertas perveniant perituraque divitias: & servant cum animæ discrimine, quæ multis periculis quaesierunt: quid Christi negotiatori faciendum est, qui venditis omnibus quaerit preciosissimam margaritam: qui totis substantiæ opibus emit agrum, in quo reperiat thesaurum, quem nec fur effodere, & latro non possit auferre. Nolle igitur oportet quid iustum sit: quidve prohibitum: ut scientes utrumque servemus. Alioquin ante scientiam mandati impossibile est nosse quid fiat. Et hæc ego non integris rate vel mercibus, quasi ignarus fluctuum, doctus nauta præmoneo: sed nuper naufragio ejectus in litus, timida navigaturis voce denuncio. Cuncti tamen mei sensus affectu vobis vaco: sed obsecro vos, ut conatus meos orationibus adjuvetis, ut Dominus & Salvator pro causa sua respondeat.

Vestrum itaque est, ut voluntatem sequatur effectus. Meum est ut velim. Obsecrationum vestrarum est, ut possim: sed ipsum meum sine Dei semper auxilio non erit meum. Deus semper largitur, semperque donaturus est: nec mihi sufficit quod semel dedit, nisi semper dederit. Si enim duri iudicis sententiam crebra mulieris flexit petitio: quanto magis pater-

na viscera interpellatione sedula molliuntur? Scitote tamen ante omnia nobis esse nihil antiquius, quam Christi jura servare: nec patrum transferre terminos: semperque meminisse Romanam fidem Apostolico ore laudatam.

De obedientia.

**A**CCIPE ergo fili doctrinam nostram ea simplicitate & veritate qua dicimus, quia non quaerimus hominum gloriam, Deus testis est. Nec ad hoc loquimur, ut humanas amicitias aucupemur, ne nostræ adulationis sermone & nos & alios decipiamus. Nec ut nos apud homines aliquid videamur, sed ut apud Deum homines magna mereantur. Hoc est itaque totum quod apprehensa manu insinuare tibi cupio, & ut simpliciter motum mentis meæ fatear, nunc monachi incunabula morelsque discutimus.

Si vis igitur ad vitam ingredi, serva præcepta: hoc est, ab omni præcepto illicito quo prohiberis recedas: & ad omne bonum quod juberis, promptus accedas. Respice sanctum virum Pammachium, & ferventissimæ fidei Paulinum presbyterum, qui non solum divitias, sed se ipsos Domino obtulerunt. Qui contra diaboli tergiversationem nequaquam pellem pro pelle, sed carnes & ossa & animas suas Domino suo consecrarunt: qui te & exemplo & eloquio, id est, & opere & lingua possint ad majora perducere. Nobilis es: & illi, sed in Christo nobiliores. Dives & honoratus, & illi, imò de divitibus pauperes & inglorii. Et idcirco ditiores & magis incliti: quia pro Christo pauperes & inhonorati. Contemnens aurum: contempserunt & multi philosophi.

Non enim fatis est perfectio & consummato viro opes contemnere: pecuniam dissipare, & projicere quod in momento & perdi & inveniri potest. Fecit hoc & Antisthenes, fecerunt plurimi, quos vitiosissimos legimus. Plus enim debet Christi discipulus præstare, quam mundi philosophus, gloriæ animal & popularis auræ atque rumoris vile mancipium. Tibi non sufficit opes contemnere, nisi & Christum consequaris. Te ipsum vult Dominus hostiam vivam placentem Deo: te, inquam, non tua. Et Deus variis tentationibus commonet, quia multis plagis & doloribus eruditur Israël: & quem diligit Dominus corripit, flagellat autem omnem filium quem recipit. Et quod si te ipsum Domino dederis, & apostolica virtute perfectus sequi cæperis salvatorem: tunc intelliges ubi fueris, & in exercitu Christi, quam extraneum tenueris locum.

Unde & præpositum monasterii timeas ut Dominum: diligas ut parentem: credas tibi salutare quicquid ille præceperit: nec de majoris sententia iudices, cuius officii est obedire & implere quæ iusta sunt: dicente Moysse: Audi Israël & tace: Neque ipse te doceas. Nulla ars absque magistro discitur. Etiam muta animalia & ferarum greges duces sequuntur suos. In opibus principes sunt: græves quoque unam sequuntur ordine literato. Imperator unus. Iudex unus provincie. Roma, ut condita est, duos fratres simul reges habere non potuit, & parricidio dedicatur. In Rebecca utero Jacob & Esau bella gesserunt. Singuli Ecclesiarum Episcopi, singuli archiepiscopi, singuli archidiaconi: & omnis ordo Ecclesiasticus suis rectoribus nicitur. In navi unus gubernator, in domo unus Dominus: in quamvis grandi exercitu unus signum expectatur. Et ne plura replicando legendi fastidium faciam: per hæc omnia ad illud tendit oratio, ut doceam te, non tuo arbitrio relinquendum: sed vivere debere in monasterio sub unius disciplina patris, confortioque multorum: ut ab alio discas humilitatem, ab alio patientiam. Hic te silentium, ille te doceat mansuetudinem: non facias quod vis, comedas quod juberis, vestiare quod acceperis: & operis tui pensum persolvas: subijcariis cui non vis: lassus ad stratum venias, necdum expleto somno surgere compellaris. Tantis occupatus negociis, nullis vacabis cogitationibus: & dum ab alio transis ad aliud, opusque succedit operi: illud solum mente retinebis, quod agere compelleris. Nam omni oblatione & hostia pretiosior est obtemperantia mandatorum, dicente Propheta: Ecce obedientia melior est quam sacrificium, & auscultatio quam adest arietum. Et alibi: Initium bonæ vitæ, facere iuxta quæ præcepta sunt apud Deum, magis quam immolare hostias. Et alibi: Qui conservat legem, multiplicat oblationem. Sacrificium salutare est, attendere mandatis: & discedere ab omni iniquitate. Nec nobis blandiri debemus in factis iustorum, si in prohibitorum transgressione pec-

cemus: cum transgressionis crimen, benefacti meritum tollat.

Quod non mei sensus assertio, sed utriusque testamenti exempla probant: ubi invenimus etiam Dei amicos ob unius contemptum errorem, bonorum retrò factorum munificentiam perdidisse. Sic Adam facile cum diabolo credidit seducenti, post familiaritatem & colloquium Dei, unius pomi cupiditate superatus, perdidit paradysum. Et quia per transgressionem unum habere præsumpsit: multa simul bona amisit. Sic uxor Loth post angelorum colloquia contra interitum retrò aspiciens, in figmentum salis repente conversa est. Quis hic præsumptionis spiritus, qui tantam in animo nostro operatur audaciam: ut cum sanctos homines de levibus etiam culpis videamus punitos esse: & nos quotidie in majoribus & pluribus delinquentes, intactos in media damnatione fore credamus: quamquam leve nunquam sit Deum etiam in exiguo contemnere: qui non tantum ad qualitatem peccati respicit, sed etiam ad personæ contemptum: propter quod non solum homini intendendum quale sit quod juberetur: sed quantus sit ille qui juberet. Excludit hoc loco vulgaris illa sententia: qua mihi suo iudicio religiosi, & qui sapientes sibimet videntur, dicere solent: Sufficit nobis ut non criminalia peccata & majora faciamus.

Facilis est enim occupatio minorum delictorum: Qui dum animali sapientia occupant animas, spiritalem intelligentiam & consuetudinem divinæ legis ignorant: quæ sæpe peccatum ostendit, quod nobis non videtur esse peccatum: & quæ illic impietatem facit, ubi nos pietatis opus ostendimus. Saül & Jolaphat reges fuerunt Israël: & dum misericordiam his quos Deus oderat præstiterunt, Dei offensam in epe pietatis incurunt. E contrario Phinees filiius Levi, gratiam Dei humana cade & suorum parricidio meruerunt. Vides quantum humanis sensibus per nostram imperitiam discrepat divina sententia: ut nobis interdum cælestis iudicis dispensationem nescientibus injusta videantur, quæ per causarum scientiam iustæ & fati rectè facta probantur. Et rursum ea que nostro iudicio rectè probantur, apud Deum plerumque reproba & ingrata videntur.

Quis hodie patris Abraham exemplo innocium volens filium trucidare humano iudicio non crederetur insanus? E contra, quis in tactu arce Domini imitatus Ozam, hominum iudicio condemnaturus? Consideremus igitur quantum casus sit temerè contemnentes, cum tanta ruina esse dicitur in negligentia obsequentiis: vel quam damnationem excepturos credimus indevotos, cum tantam reprobationem devoti exceperint. Tepidum discipulum non amat Christus. Qui vult meus esse discipulus, ait, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Beate itaque sunt illæ animæ, quæ dorsum suum curvaverunt, ut suscipiant super se selesorem, & frena ejus patientur, ut quocumque voluerit flectat eas. Quando enim magister præcipit, obedientis indicium est, si dimisso adversus eum audiat capite. Si autem vertat tergum, signum est contemnentis.

De tribus generibus monachorum in Aegypto commemorantium.

**E**T quia monachorum fecimus mentionem, & te scio libenter audire quæ facta sunt: aurem paulisper accommoda. Tria sunt in Aegypto monachorum genera. Primum cœnobitæ, quod illi Saufes gentili lingua vocant, quos nos in commune viventes possumus appellare. Secundum Anachoritæ, qui soli habitant per desertum: & ab eo quod procul ab hominibus recesserint, nuncupantur. Tertium genus est, quod ipsi Remoboth dicunt, deterrimum atque neglectum: quod in nostra provincia, aut solum, aut primum est. Hi bini vel terni, nec multo plures simul habitant, suo arbitrio ac ditione viventes. Et de eo quod laboraverint, in medium partes conferunt: ut habeant alimenta communia. Habitant autem quamplurimi in urbibus & castellis, & quasi ars sit sancta non vita: quicquid vendiderint majoris est pretii. Inter hos sæpe sunt iurgia: quia suo viventes cibo, non pariuntur se alicui esse subiectos. Re vera solent certare jejuniis: & rem secreti, victoriæ faciunt. Apud hos affectata sunt omnia, laxæ manicæ, caligæ sollicitæ, vestis crassior, crebra suspiria, visitatio virginum, detractio clericorum. Et si quando dies festus advenit, saturantur ad vomitum.

His igitur quasi quibusdam pestibus exterminatis, veniamus ad eos qui plures sunt, & in commune habitant, id est, quos vocari cœnobitas diximus. Prima apud eos confederatio, est obedire majoribus: & quicquid iusserint facere. Divisi sunt per decurias atque centurias: ita ut novem hominibus præsit decimus. Et rursum decem præpositos sub se centesimus habeat. Manent separati, & se junctis cellulis: usque ad horam nonam, ut institutum est, nemo pergit ad alium: exceptis his decanis quos diximus: ut si cogitationibus forte quis fluctuet, illius consoletur alloquiis.

Post horam nonam in commune concurrunt, psalmi resonant, scripturæ recitantur ex more: & completis orationibus cunctisque residendis, medius quem patrem vocant, incipit disputare. Quo loquente, tantum silentium fit: ut nemo alium respicere: nemo audeat exscreare. Dicentis laus est in fletu audientium. Tacite voluntur per ora lachrymæ: & ne in singultus quidem erumpit dolor. Cum verò de regno Christi, & de futura beatitudine, & de gloria cœperit annunciare ventura: videas cunctos moderato suspirio & oculis ad cælum levantes inter se dicere: Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo & requiescam? Post hæc consilium solvitur, & unaquæque decuria cum suo parente pergit ad mensam: quibus per singulas hebdomadas vicissim ministrant. Nullus in cibo strepitus est: Nemo comedens loquitur: Vivitur pane & leguminibus: & oleis quæ solo sale conviuntur. Vinum tantum fenes accipiunt, quibus cum parvulis sæpe fit prandium, ut aliorum ætas festâ sustentetur: aliorum non frangatur incipiens. Dehinc consurgunt pariter, & hymno dicto, ad præsepia redeunt, ubi usque ad vesperum cum suis unusquisque loquitur & dicit: Vidistis illum & illum? quanta in ipso gratia sit? quantum silentium? quam moderatus incellus?

Si infirmum viderint, consolantur. Si in Dei amore ferventem, cohortantur ad studium. Et quia nocte extra suas orationes publicas in suo cubili unusquisque vigilat, circummeunt cellulas singulorum, & aure apposta, quid faciant diligenter explorant. Quem tardiorē deprehenderit, non increpant, sed dissimulato quod norunt, eum sepius visitant: & prius incipientes provocant magis orare, quam cogant. Opus Dei statum est, quod decano redditum fertur ad œconomum, qui & ipse per singulos menses patri omnium cum magno reddidit timore rationem: à quo etiam cibi cum facti fuerint degustantur.

Jejunium totius anni æquale est, excepta quadragesima: in qua sola conceditur districtius vivere. A pentecoste, cœnæ mutantur in prandia, quo & traditioni Ecclesiastica satisfaciunt, & ventrem cibo non onerent duplicato. Ad tertium veniam genus, quos anachoritas vocant, qui & de cœnobitis exeuntes, excepto pane & sale amplius ad desertum nil deferunt. Hujus vitæ autor Paulus, illustrator Antonius: & ut ad superiora conscendam, princeps Joannes Baptista fuit. Talem verò virum Jeremias quoque Propheta describit dicens: Bonum est viro cum portaverit jugum Domini ab adolescentia sua: sedebit solitarius & tacebit, quia sustulit super se jugum, & dabit percussit se maxillam: saturabitur opprobriis, quia non in sempiternum abiciet Dominus. Horum laborem & conversationem in carne non carnis, alio tempore si volueris explicabo. Nunc ad propositum redeam. Bonum est obedire majoribus, parere præfectis: & post regulas scripturarum vitæ tuæ tramitem ab aliis discere, nec præceptore uti pessimo, scilicet præsumptione tua.

De castitate.

**M**ORTIFICATE, inquit Apostolus, membra vestra, quæ sunt super terram. Unde ipse postea considerans aiebat: Vivo autem jam non ego, vivit verò in me Christus. Qui mortificaverit membra sua, & in imagine noctis perambulaverit, non timebit dicere: Factus sum sicut uter in pruna. Unde idem Apostolus castigabat corpus suum, & in servitute redigebat, ne aliis prædicans ipse reprobos inveniretur. Corporisque ex persona generis humani inflatus ardoribus loquebatur: Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Et iterum: Scio quoniam non habitat in me, hoc est in carne mea, bonum. Velle enim adjacet mihi: ut faciam autem bonum nequaquam: neque quod volo bonum, sed quod nolo malum illud facio. Et denuò: Qui in carne sunt, Deo placere non possunt. Vos autem non estis in carne,